

Cl 56500
(5)



UB GIESSEN



12 087 080

~~A. 56528~~

11. JUNI 1980
05R06

A 56500(5)

T 12 087 080

83
'00

12


D.

SV


PRO
IN

ORDINIS
MEDICI IN ACADEMIA LVDOVICIANA
H. A. DECANVS
D. ERNESTVS LVDOVICVS
WILHELMVS NEBEL
CLARISSIMOS DOCTISSIMOSQVE
ALIQVOT
CANDIDATOS
SVMMIS IN MEDICINA HONORIBVS
CONDECORATOS COMMENDAT
ATQVE
PROFESSORVM QVI MEDICINAM
IN ACADEMIA GIESSENSI DOVERVNT
CONSPECTVM PRAEMITTIT

GIESSAE
PRELO I. W. BRAVN ACAD. TYPOGR.
1802



12 087 080



S
que
dabi
anti
lupt
quae
nim
flore
rari
grat
conf

a) En
Iol

Ri
Ph
Iuf

I.

Bo
Bu
Sch

Sre

Si historiam priscorum in arte magistrorum recensere horum-
que merita aequa lance ponderare &, quidquid bonum ac lau-
dabile praestiterint, iustis laudibus celebrare viri ingenui nec
antiquitatis despicientis est, maior etiam exinde conciliatur vo-
luptas, si seriem maiorum in eodem munere & in cathedra,
quae hodierni aevi est, antecessorum, memoriae proditam cer-
nimus. Habuit Giesſa nostra per duo paene secula, quibus
floreſcit, viros de studio iuuenili, civitate & ipsa republica lite-
raria praeclare merentes, dignos profecto, quorum memoriam
grata posteritas reſolat. Quorum igitur, quotquot extiterint,
conſpectum tradere apud animum conſtitui a).

A 2

Cum

a) En instituta, quantum novi, huic nostro ſimilia:

Iob. Heintzii or. de ſingularum profeſſionum med. in acad. Lipſ.
initiiſ ac incrementiſ, vt & genuina decanorum eundem. Lipſ.
1630.

Riuius de fac. med. Lipſ. decaniſ & prof. therap. Lipſ. 1719.

Plaz decanorum fac. med. Lipſ. ſeries continuata. 1778.

Iuſt. Chriſtoph. Boehmer mem. profeſſ. Helmſtad. in ordine med.
prol. I. II. Guelſerb. 1719.

I. I. Baier biographiae profeſſ. med. Altorſin. Norimb. 1728. 4 c.
tabb.

Boerner memoriae profeſſ. med. in acad. Wittemb. 1755.


Burchardi vitae profeſſ. med. Herbornenſ. 1765. fol.

Schoenmoetzel hiſt. fac. med. Heidelberg. Tentam. hiſt. facult. med.

Collectan. ad hiſt. fac. med. progr. I, II, III. Heid. 1769, 1771.

Stebler hiſt. trium ſeculorum med. Ingolſtad. facultatiſ, Ingolſt.
1772.

H. P.




Cum primum, post excessum *Ludouici IV*, Landgrauii Hassio-Marburgensis, Gieffensis ager in *Ludouici V*, Fidelis dicti, Landgrauii Hassio-Darmstadini, ditionem venisset, princeps ille gloriosissimus nil magis in votis habuit, quam vt rem scholasticam exornaret & doctrinae in terris suis maius incrementum pararet. Ansam rei dedere discordiae in academia Marburgensi circa fidei christianae integritatem, cum *Mauritius*, terrae Castellanae Landgravius, contra patrum testamentum & sancita, *Caluino* fauisset, qua de causa professores quidam Marburgenses annis & meritis graues, iique *Lutheri* asseclae, e cathedris exulauere. Qui, ex theologis *Winkelmann* & *Mertzer*, ex Ictis *Antoni*, ex philosophis *Dietericus* atque *Fink*, Gieffam se contulerunt, vbi Principi institutum praeclarum scholasticum condendi exoptatissima sese obtulit occasio. Facta mox professorum denominatio d. 26. Aug. & gymnasii illustri inauguratione solennis d. 10. Oct. a. 1605, quam, impetratis a *Rudolpho II* Rom. Imp. priuilegiis Caesareis, vniuersitatis excepere primordia & actus panegyrici d. 7. Oct. 1607.

Cum studium medicum in pullulante gymnasio desertum iaceret & ex Marburgensibus nemo nouae scholae cathedram contenderet, Princeps conditor de medico insigni & praestante aduocando cogitauit, primusque omnium ad cathedram medicam vocatus est D. Iosephus *Lautenbach*, Friedbergae artem faciens. Qui vero cum prouinciam detrectasset, rite vocatus est,

I. Ioan-

H. P. de Leueling hist. chir. anat. facult. med. Ingolstadienf. ab a. 1472 ad a. 1738. Ingolst. 1791.


I. Io
vrbe
fileae
cas se
fecisse
Sept.
mam
craten
Capin
Auge
cancel
II. Io
fis, po
1569.
cinae
c. h.
ter p
manis
nendu
His te
lem,
Landg
III.
M. D.
gensis,
oration
primu
collegi
maniac
turbat
mus a



I. *Ioannes Münster* Heilbronnensis, poeta laureatus & in vrbe patria, postea Wimpfensi, physicus, nat. 1571, M. D. Basileae 1599. D. 22. Aug. 1606 ad nos aduenit & post paucas septimanas, cum Francofurtum ad nundinas autumnales iter fecisset, ibidem peste infectus est & Giessam reuersus d. 25. Sept. interemtus. Biduo ante coniux quoque eadem lue animam efflauit. Medicus fuit doctus, scriptis, in quibus *Hippocratem* de purgatione aduersus *Schoppium*, *Mercurialem* & *Capivaccium*, atque *Galenum* de paedophlebotomia aduersus *Augenium* defendit, clarus. Denuo tunc arcessitus, legatione cancellarii Principis, *Ioach. Strupp*i, honorifica,

II. *Iosephus Lautenbach* Alsatus, ciuitatis Francofurtensis, postea Imp. castri & ciuitatis Friedbergensis medicus, nat. 1569. Adiit prouinciam d. 2 Mart. 1607 oratione de *medicinae dignitate, utilitate & necessitate* & primum anatomen c. h. docuit. Docendo ac disputando academiae non mediocriter profuit, dum phthisi tentatus d. 17. Aug. 1614 rebus humanis valediceret. Scriptor fuit de hydrophobia non spernendus & editor operum quorundam medicorum Italicorum. His temporibus, d. 12. Oct. 1607, primum ordinem medicinalem, vt & statuta collegii medici, promulgauit *Ludouicus V Landgrauius*.

III. *Gregorius Horst* Torgensis, nat. d. 5. Nou. 1578, M. D. Basileae 1606, hucusque medicinae professor Vitembergensis, secundus professor huc vocatus est & d. 24. Iul. 1608 orationem aditalem de *noctambulonibus* habuit. Ad locum primum in facultate adscendit 1614 & Vlmam abiit poliater collegiique medici antistes d. 12. Iun. 1622, cum belli Germaniae intestini calamitates studia academica in Hassia quoque turbassent. Vlmae diem obiit supremum d. 9. Aug. 1636. Primus apud nos corporis muliebris dissectionem publicam, dein



ceruae praegnantis, mensibus hibernis 1615 exhibuerat, quam virilis corporis demonstratio sequebatur 1617. Vir artis exercitio & scriptis praeclaris adeo celebratus, ut, teste *Eloy b)*, Germanorum Aesculapii nomine insigniretur, & a *Ludouico V* Landgrauio archiater constitueretur. Opera eius, quae bis collecta prostant, medicinam & theoreticam & practicam illustrant, ita ut & hodie, post tantas systematis medici vicissitudines, pretio suo non destituantur.

IV. *Michael Doering*, nat. Vratislaviae d. 29. Sept. 1582, cum statum florecentis academiae spectatum & amicos salutatum Vitemberga Giesam venisset, tertium in facultate medica locum obtinuit & d. 5. Febr. 1609 oratione de variis medicinae sectis differente auspicatus est, in qua praesertim multa & alias non trita de *Theophrasti Paracelsi* vita & moribus commemoravit. Tunc, collegio medico completo, decanatus officium primum delatum est ad *Ios. Lautenbach*, & professorum, prae ceteris vero *Græg. Horstii*, opera splendor & frequentia nouae academiae sunt promota. Reliquit vero, amoris patriae dulcedine captus, academiam *Doeringius* d. 11. Mart. 1612 & Vratislaviae principis *Lichtensteinensis* archiater & physicus factus, dum d. 21. Mart. 1644 vita discederet. Scriptis de medicina & medicis c), de opio, de peste, de mithridatico & observationibus variis chirurgicis, quas *Fabricius Hild.* publici iuris fecit, clarus.


V. *Ludouicus Iungerman*, nat. Lipsiae claris parentibus, etenim magno illi *Ioach. Camerario* ex filia nepos fuit, d. 4 Iul.

1572,

b) Dictionn. hist. de la med. voce *Horst*. Conf. omnino de *Horstio Witten.* memor. medicor. p. 67 sqq.

c) Primus fuit historiae medicinae scriptor, ideoque paullo rudior. Prudens tamen Hippocraticorum & Paracelsisticorum conciliator, teste cl. *Sprengel Gesch. d. Med.* t. II p. 422.

1572,
28. Ap
Iam a
nus m
dio pr
tinuit,
descrip
in fac
cofurt
Academ
dum ip
cathedr
suum
qui co
medici
circa
disposi
lotet)
nitis h
& mu
micum
VI. S
Hafen
tenbach
d. 27.
constit
biliter
Marbn
d) In
pomi
prof.
cel.



1572. *Doeringio* successit & medicinae & botanices cathedram d. 28. April. 1614 oratione *dignitatem studii botanici* exhibente adiit. Jam a. 1609 hortus botanicus erat institutus eique *Iungermannus* med. candidatus hic commoratus L. ioachimicorum stipendio praefectus. A. 1610 licentiat, 1611 doctoris gradum obtinuit, mox vero Norimbergam, ubi *Besler*, horti Eyslettenfis descriptor, illo adiutus est, & inde patriam petierat. Locum in facultate vacantem *Franc. Omichius*, postea professor *Francofurtenfis* Marchicus, primum acceperat, dein declinauerat. Academiae utilem operam praestitit noster, ab a. 1614 vsque dum ipsa circa a. 1624 exspiraret, ideoque 1625 *Altorsinam* cathedram petiit, in qua d. 7. Iul. 1653 caelebs aet. 81 diem suum obiit. Vir botanicorum suo aevo nemini secundus, qui cornucopiae florum *Gieffensis* 1623 typis euulgato & horti medici *Gieffensis* ichnographia, nec non catalogo herbarum circa *Gieffam* sponte nascentium iuxta seriem *Tabernaemontani* disposito (quod utrumque opus in cimeliis academiae *Altorsinae* latet) de flora patria excellenter meritus fuit d). Eius monitis hortus in aream collegio academico propiorem traductus & muro cinctus est a. 1617, quo anno & laboratorium chemicum ibidem est extructum.

VI. *Samuel Stephani* *Gruninga* *Wurtembergensis*, a *Matth. Hasenreffer*o, *Tubingenium* cancellario, commendatus, post *Laurentbachii* obitum, oratione *de pseudomedicis* munus professoris d. 27. Oct. 1616 rite adiit, simulque poliater apud *Gieffenses* constitutus est. Theoretica docuit, nec non anatomica laudabiliter tractauit: a. vero 1625 *Hanouiam* abiit. Cum terra *Marbunrgensis*, ex arbitrio Caesaris, *Ludouico V*, Landgrauio *Hasso-*

d) In eius honorem binae plantae ex cryptogamicarum ordine sunt nominatae. Memoriam viri optime commendauit *Baier* biogr. prof. med. Alt. p. 80 sqq. nec non collega noster exoptatissimus, cel. *Walther*, flora *Gieffensi* vernacula lingua nuper edita.



Hasso-Darmstadio, cederet, vtraque academia, & Gieffenfis & Marburgensis, sub auspiciis *Ludouici* Marburgi est vnita. Quidam vero academiae Marburgensis professores Casselas se contulere. Remansit tamen & primum locum denuo occupauit,

2. VII. *Nicolaus Braun*, nat. Marburgi 1558, vbi ab a. 1599 prof. physices & a. 1608 medicinae ordinarius fuit. Senex 81 annor. febre epidemica tertiana d. 24. April. 1639 occidit. Disputationibus compluribus, v. c. de fumo tabaci, nec non noua herbarii *Tabernaemontani* editione, clarus.


3. VIII. *Ioannes Kempf*, nat. Marburgi d. 18. Oct. 1592, M. D. Gieffae 1619, professor medicinae & botanices, & paulo post *Georgii II* Landgrauii archiater, nōminatus est. D. 9. Iun. 1625 oratione adituali *medicinae originem, incrementum, praestantiam & difficultatem* commendauit. Gieffae, vbi in aula Principis plerumque commoratus est, casu fatali occubuit, cum in domo sua a rustico quodam nefando *Watzembornensi* e scala deiectus post paucos dies exspiraret, d. 25. Iun. 1635.

IX. *Iacobus Müller* Torgensis, *Greg. Horstii* semifrater, nat. d. 11. Mart. 1594, tertius medicinae professor in academia Gieffa-Marburgensi constitutus est. A. 1618 in acad. Gieffenfi prof. matheseos, simulque medicinae licentiat, a. 1619 doctor, factus est. D. 24. Iun. 1625 *utilem & iucundam medicinae & matheseos coniunctionem* sermone adituali ostendit. Vtramque disciplinam professus est vsque ad a. 1636, quo copiae Hasso-Darmstadiinae Misniam, Electori socero Principis suppetias ferentes, expeditionem fecerant, quas ipse tanquam rei tormentariae director & a consiliis bellicis comitatus est. Hic Torgae in patria febre petechiali laborans d. 11. Aprilis 1637 obdormiuit e).

X.

e) Iam ante Borellum motum animalem ex principiis mathematicis deduxit, de quo vid. *Paschius* de inuentis nouis, p. 363.

X. Io.
d. 14
cum o
tij me
primu
restaur
grauii
ab a.
Landg
xit, r
aliquot
collegi
acturus
rum l
giae in
quaest
XI. I
cundu
23. Fe
ptiis c
abusio
academ
ctus c
astrolo
XII I
chii S
faculta
f) Mer
Freb
g) Telf
bus
Recto



X. *Ioannes Daniel Horst*, *Gregorii* fil., natus *Gießae* d. 14. Oct. 1616, tertium *Kempfi* interemto in facultate locum obtinuit & d. 2. April. 1637 oratione *de sigillo facultatis medicae* auspicatus est, M. D. factus *Tubingae* 1636. Ad primum locum a. 1639 adscendit, quem & postea *Gießae* in restaurata academia tenuit. Simul archiater *Georgii* II Landgrauii fuit & in aula *Darmstadii* plerumque occupatus, inde ab a. 1651 vsque ad 1663 initium, quo, cum *Ludouicus* VI Landgravius *Tackio* magis faueret, aulae & academiae valedixit, reliquos vitae dies inter praxeos opulentiae negotia (nam aliquot Electores & Principes ipso archiatro utebantur), ut collegii medici senior & physicus primarius, *Frankofurti* transacturus. Magnae famae vir, quem nominasse satis est: vasorum lymphaticorum illustrator & in corde inuentor, chirurgiae infusoriae refutator, acidularum commendator, *Zacchiae* quaestionum, nec non hist. animalium *Conr. Gesneri*, editor f).

XI. *Ioannes Tileman*, *Werthemien*sis, postquam *Horstius* secundum in facultate locum nactus erat, tertium obtinuit. D. 23. Febr. 1636 *Marburgi* sollemnia doctoralia vna cum nuptiis celebrauit. D. 5. Sept. 1637 orationem auspicalementem *de abusibus in praxi medica* recitauit. A. 1650 in restaurata academia *Marburgensi* remansit, 1655 *Moguntiam* abiit, factus caluinista, postremum iudaeus g). Vir solers & vere doctus, astrologiae amans, aphorismorum *Hippocraticorum* editor.


XII *Ioannes Petrus Lotichius*, magni illius *P. Lotichii Secundi* ex fratre nepos, post *Braunii* obitum locum in facultate medica accepit a. 1639. Natus ille *Naubertii* in

B

Wer-

f) Memoriam & patris & filii celebrare *Bayle* dict. hist. & crit. *Freber* theatro viror. erud. clar.

g) Teste *Ayrmann* de peregr. in Hass. professor. p. 25. Magicis artibus deditum & amuleti laudatorem fuisse, auctor est *Currus* fast. Rector. *Marb.* p. 34.



Wetterauia d. 8. Mart. 1598, M. D. Basileae 1619 factus, tum prof. med. Rinteliensis, dein archiater Bückenburgensis, postea medicus castrensis comitis a Goetz. Abiit Herbornam 1642, diem denique suum obiit Francofurti m. Aprili 1669. Scriptor historicus, philologicus, poeticus, satiricus insignis, nec in medicis prorsus ignotus h).

XIII. Ioannes Tack, natus Wetzlariae d. 23. Sept. 1617, initio stipendiatorum maior, Med. Lic. 1643, d. 6. Maii 1650, sub restauratae academiae solennia, doctor medicinae, Horstio promotore, est creatus & d. 30. Maii oratione de quadratura circuli locum in facultate med. secundum capessuit: simul eloquentiae professor fuit. Utilem ille academiae praestitit operam & scriptis inclaruit, usque a. 1662, quo, munere prof. primarii necdum seposito, plerumque absens in aula tanquam Ludouici VI Landgrauii archiater commoratus est. Vita discessit Darmstadii d. 11. Aug. 1676.

XIV. Christianus Buncke, Hamburgensis, nat. 1618, M. D. Ienae 1650, tertius med. professor constitutus d. 13. Iul. 1651 oratione de conditionibus optimi & perfecti medici provinciam aggressus est. Botanicam praecipue docuit, in qua Ioach. Jungii fuit discipulus, cuius isagogen phytoscopi- cam & schedarum fasciculum inscriptum mineralia locupletavit. Sed vicit amor patriae & Hamburgum physicus m. Sept. a. 1652 rediit, vbi 1659 obiit.

XV. Georgius Balthasar Metzger, Suinfurtensis, professoris anatomiae & botanices munus adiit m. Aprili 1653, simulque physicam tradidit. Docendo publiceque disputando res academiae optime sua ex parte promouit, usque ad a. 1661 auctumnum, quo Tubingam discessit: ibique d. 9. Oct. 1687 interiit. Cui successus est.

XVI.

b) De vita & scriptis Lorichii, quaeque inueniri potuerunt, diligenter retulit cel. Srieder, Hess. Gel. Gesch. t. VIII p. 99 sqq.

XVI.

Horst

mium

Prof.

est ibi

gnum

acute

pontar

XVII.

d. 18.

aula a

vbi tu

& bot

26. N

30. a

anato

1693

xatus

certim

runt d

iniit,

decan

blice

Vir p

neoter

vero p

miao

& Lip

*) Ha

babe

ac



XVI. *Laurentius Strauß*, Vlmensis, Med Lic. & I. D. *Horstii* gener, nat. 1633. D. 19. Iun. 1662 oratione *encomium rosae* exhibente medicinae & physices cathedram adiit. Prof. med. primarius factus Francofurtum ad Moen. profectus est ibidemque febre ardente d. 6. Apr. 1687 exspiravit, magnum sui desiderium relinquens. Vir compluribus libellis acute & eleganter scriptis, praesertim resolutione casus Mussipontani de foetu extra uterum retento, celebratus.


XVII. *Michael Heiland*, Lipsiae claris parentibus ortus d. 18. Maii 1624, cum propter *Horstii* discessum & *Tackii* in aula absentiam res academica medicis fere destitueretur, Lipsia, ubi tum medicinae prof. fuit, huc vocatus est ad anatomiam & botanicam docendam. Orationem inauguralem habuit d. 26. Nou. 1663 de *utilitate philosophiae in medicina*. Per 30. annos in commodum academiae res medicas promouit & anatomicis, chirurgicis & botanicis praefuit, donec d. 15. Dec. 1693, tanquam academiae senior, febre continua maligna vexatus animam deo redderet. Dissertationes complures, praesertim de monstro Hassiaco in pago Vlf nato, quam repetierunt & *Blasius* & *Licetus*, conscripsit. Quater matrimonium iniit, sed improlis obiit. Quater Rectoris Magnif., quindecies decani munere functus est & 9. doctores & 31 licentiatos publice creauit. Hortum medicum denuo adornauit & auxit. Vir pius atque seuerus, Galeni veterisque medicinae amans, neotericorum Syluianorum & Cartesianorum osor: post funera vero praedicandus, quod M flor. pro viduis medicorum academiae legauerit, C ioachimicos facultatibus medicis & Giesens & Lipsiens donauerit, *) L flor. pro condendo theatro anat-

B 2

mico

*) Haec sunt verba testamenti, "so ich beyden Facultaeten hiemit legirt haben will, dergestalt, daß die von solchen Capitalien erhobene pensionen jährlich am Tage Michaelis, bey angestelltem conuentu Facultatis,

HINER



mico persolui curauerit & bibliothecam suam bibliothecae acad. tribuerit.

His temporibus apud nos vixit *Ioh. Conrad. Dietericus*, histor. & graecae linguae prof. magnum orbis literati lumen, qui, licet medicus non esset, medica tamen praeclare promouit, scilicet iatreo Hippocratico & aphorismis Hipp. illustratis. Neque silentio praetereundum, a. 1670 ordinem medicinalem *Ludouici VI. Landgrauii Gießae* typis euulgatum prodidisse.

XVIII. *Hieronymus Roetel*, nat. Francofurti ad Moen. d. 20. Mart. 1636, Med. Lic. Gießae 1661, Doctor eodem die, quo & nuptias celebrauit, d. 27. Oct. 1662 renunciatus, professoris extraord. munus adiit d. 23. Dec. 1663. Abiit Darmstadtum tanquam urbis & agri physicus m. Aug. 1667, ubi vitae finis fuit d. 7. Iun. 1676.

XIX. *Ludouicus Christianus Tack*, *Ioannis* filius natus maximus, nat. Gießae 1655, Med. Lic. 1675; prof. extraord. est constitutus 1677, ordinarius d. 8. Oct. 1679. Vir ad magna forte natus laboribus praecocibus & improbis adeo fanitatem fregit, ut melancholia confectus 30. annos & ultra delirus & mentis impos hic viueret. Placide obdormiuit d. 12. Jan. 1718.

XX. *Iustus Fridericus Dillenius*, nat. Darmstadii d. 3. Aug. 1644, Med. Lic. Gießae 1681, medicus hucusque apud Werthemienfes ordinarius, *Straussio* exanimato professoris officium nactus est, quod d. 29. Mart. 1688 oratione adituali de *ortu & progressu anatomie* orsus est: doctor dein a collega

M.
unter de en membra praesentia ausgetheilet und dabey meiner, als eines vordem gewesenem Mitglieds, im besten gedacht werden moege."

Ceterum conf. de *Heylando* nostro concio funebris ab *Henn. Phasiano*, eloquent. prof., habita, cum programme & epicediis.

M. Heiland renunciatus. *Heilando* mortuo anatomiae & botanicae praefuit, postea pathologiam & praxin professus est. Longiori quam ullus ex prioribus tempore res academiae adiunxit, donec d. 18. Aug. 1720, tanquam acad. senior, podagra detenta ultimam rerum lineam attigerit. Commentationes bene multas *Ephemer. Nat. Cur.* inseruit, v. c. de lienis canini exsectione 1). Pater ille extitit *Ioanni Ias. Dillenio*, botanicorum suo aeuo coryphaeo, d. 13. Apr. 1747 Oxonii mortuo, qui flora Giesfensi maximeque historia muscorum immortalitatem consecutus est.

XXI. *Ioannes Christophorus Hert*, *Ioh. Nicolai*, Icti summi & academiae posthac cancellarii, frater germanus, *Heilando* ad coelites relato primarium in facultate locum obtinuit m. Martio 1694 & oratione inaug. adiit d. 29. Oct. 1696. Paulo antea *Ioh. Bartholom. Schleiermacher* Wildungensis, Landgrauii *Ernesti Ludouici* archiater, breui ante obitum (qui fuit d. 26. Sept. 1691) professor med. ord. fuerat designatus. Natus est *Hertius* Niedercleae prope Wetzlarum d. 12. Ian. 1649, Med. Lic. 1673, Dr. 1675, archiater Landgrauii primarius 1692 factus. Simul archiatri Moguntini, Hasso-Cassellani, Fuldenfis, Nassouici, Solmenfis, Ysenburgensis, & Stolbergensis titulis & honoribus vsus est. Ea tamen conditione in academia prouinciam nactus est, vt in aula porro versari & Principis sanitatis curam gerere sibi liceret & non, nisi forte in actibus promotoriis ipsius praesentia exigeretur, Giesfiae commoraretur. Placide obdormiuit in itinere, cum Darmstadio profectus Giesfam peteret, Butisbaci d. 22. Sept. 1730, 82 annor. sexex. His temporibus academiae ordo generalis a. 1720, ordo medicinalis nouus a. 1727, typis sunt euulgati.

B 3

XXII.

1) Recensitas inuenies apud *Hallerum* bibl. chir. I p. 545, & *Goellicke* hist. lit. anat. p. 495.




XXII. *Michael Bernhard Valentini*, Gießenfis, nat. d. 25. Nou. 1657, Med. Lic. 1680, Dr. 1686, prof. physices ord. (in quo munere *Strauffium* excepit) d. 1. Maii 1687 Francofurto vocatus, med. prof. extraord. m. Febr. 1696, ordinarius pathologiae & praxeos d. 7. Sept. 1697, est constitutus. Per multos annos academiae haud parum frugis pariter ac splendoris attulit, usque ad a. 1729, quo d. 13. Mart., academiae senior rerumque oeconomicarum inspector, calculi doloribus confectus, superueniente catharrhali pectoris oppressione, animam reddidit. Vir, licet exiguo corpore & cyphosi affectus esset, praeclaris operae ingenique monumentis usquequaque celeberrimus, cen pandectis & nouellis med. legalibus, amphitheatro zootonico, museo museorum, medicina nou- antiqua al. Responsis quoque suis gloriam academiae auxit. Fuit academiae Nat. Cur. director, archiater & comes palat. Caesareus, S. R. I. nobilis, academiarum recuperatorum Patauinae, Reg. Berolinensis, nec non Londinensis, sodalis.

XXIII. *Andreas Iulius Boetticher*, Guelferbytanus, nat. d. 7. Iul. 1672, M. D. Leidae 1693, eodem cum *Valentini* die professor anat. chir. & botanices est designatus & d. 22. Febr. 1698 oratione *de nouis inuentis anatomicis* auspiciatus est munus. Sed Giesam reliquit mense Ian. 1701, Helmstadii professoris munus suscepturus. Obiit Berolini in itinere d. 26. Iul. 1719 k).

XXIV. *Georgius Christophorus Moeller*, hucusque comitatus Niddani physicus, qui Patauii doctor factus lenae priuatiu medicinam tradiderat, d. 24. Maii 1700 orationem inauguralem *de principiis chymicis eorundemque cum Aristotelicis & mechanicis consensu* habuit atque professor med. extra-
ord.

k) *I. C. Boehmer* supremum amoris officium *A. I. Boettichero* persoluit. Helmst. 1719. 4.




ord. est receptus. Permansit in hac prouincia & in practicis potissimum vtilem operam praestitit vsque ad a. 1717 initium, quo Wezlariam, ad munus camerae Imp. medici suscipiendum, properauit.

XXV. *Georgius Theodorus Barthold*, Teudnizensis Misnicus, nat. d. 6. Martii 1669, in *Boettcheri* locum suffectus & ab Halensi facultate med. commendatus, orationem inauguralem habuit d. 12. Jun. 1702 *de existentia Dei & admiranda sapientia ex re herbaria cognoscenda*. Diu antea haesitatum inter illum & *Mart. Naboth*, posthac prof. med. Lipsiensem. Plurimum academiae & ciuitati profuit & bonis omnibus plangentibus d. 6. Dec. 1713 febre petechiali epidemica correptus interiit: qua lue post triduum enecatus quoque *D. Ioh. Gregor. Antoni*, poliater Giessensis. Opera eius medica postuma edidit *Rosenstengel*. Clarus vir quoque discipulo *Henr. Bern. Ruppio* Giessensi, botanico insigni.

XXVI. *Ioannes Casimir Hert*, *Ioh. Christophori* filius, nat. Butisbaci 1679, Med. Lic. 1704, Dr. 1707. in festo academiae seculari, postea comitatus Niddani physicus, *Bartholdo* est substitutus & oratione auspicali d. 22. Mart. 1714 *scitum & verum usum anatomiae* exposuit. Post patris obitum ad primum in facultate locum adscendit & per multos annos occupauit, donec d. 4. Nou. 1748 mortalibus exueretur. Vir sagax & solide doctus vnusque ex caris *Frid. Hoffmanni* discipulis, sed morbo hypochondriaco male vexatus. Pauca scripsit, ea tamen ab *Hallero* non sine laude memorata. Clarus vir quoque discipulis, inter quos *Phil. Conrad. Fabricius* Butisbacensis, postea professor Helmstadiensis, *L. H. L. Hilchen*, *Gerh. Tabor* & *F. W. Hensing*, tres dein collegae. Ipso anatomicis praefecto theatrum anat. quo etiamnum extat loco conditum & a 1720 initiatum est: nec non a 1740 hibernaculum plantarum.

XXVII.



10

XXVII. *Ioannes Melchior Verdries* Gießensis, nat. d. 26. Ian. 1679, Med. Lic. 1702, prof. philosophiae naturalis extraord. d. 28. Maii 1707, ordinarius d. 18. Sept. 1710, doctoris gradum inter iubilaei acad. sollemnia 1707 & prof. extraord. munus d. 12. Iul. 1714 accepit. Ordinarium in facultate locum pathologico practicum demum a. 1720, post mortem *Dillenii*, obtinuit: philosophico necdum seposito, in quo cum *Valentini* itidem amice conspiravit, qui prof. physices experimentalis fuit, cum *Verdries* philosophiam naturalem doceret. Vir fuit strenuus, vita simplici sobriaque usus, coelibatem sancte seruans. Ereptus reipublicae d. 25. Iul. 1736, accedente adtussim diuturnam febre hectica, tanquam Rector academiae Magnif. pompa pariter magnifica sepultus, cuius memoriam nomine academiae programme prosecutus est Exrector *I. F. Wahl*, Ictus. In orbe literato non exiguam famam est consecutus physica sua, & diss. variis & medicis & physicis, praesertim de aequilibrio mentis & corporis, de succi nutritii in plantis circuitu.

XXVIII. *Ioannes Thomas Hensing*, Moeno-Francofurtensis, nat. d. 30. Aug. 1683, Med. Lic. Gießae 1710, nec non agri Gießensis medicus, *Moellero* discedente d. 26. Nou. 1717 munus prof. med. extraord. oratione adituali *de commodis ex naturae scrutinio per ignem in medicinam reliquasque artes & scientias derivatis ac derivandis* orsus est. D. 23. Febr. 1723 prof. med. ord. & quidem philosophiae naturalis chymicae est constitutus & laboratorio chymico a Principe condito praefectus. Sed praematura mors experimentis laboribusque eius (erat enim chymicus strenuus, celebris, alchymiae autem osor) colophonem imposuit d. 27. Aug. 1726, cum febre catarrhali maligna cum diarrhoea coniuncta decubuisset l).

XXIX.

l) Cf. *I. B. Rüdiger* acad. Rect. progr. inuitatorium ad exequias *I. T. Hensing*. Gieß. 1726. 4.

XXIX.

Berna
labyrin
med. pr
a princ
non ab
tus, vb

XXX.

tisbaci,
d. 3. A
dicina
rii, loc
morati,
ita vt
d. 22.

& acad

Vir ali

marius

dissent

tus pra

genis,

doctrin

ad meo

gel), e

XXXI.

Tabor


D. Ultra

sum in

qua qu

aggres


paulo



XXIX. *Christophorus Bernardus Valentini, Mich.*
Bernardi filius natus maximus, d. 18. Iul. 1720 oratione, qua
labyrinthi studii medici feliciter superandi viam monstravit,
med. prof. extraord. locum cepit. Med. Lic. 1717, Dr. 1719,
a principe heroe *Henrico Hass. Landgr. Butisbaci* degente, nec
non ab aliquot *Wetteraviae* comitibus, archiater est constitu-
tus, ubi moratus rebus academicis valedixit a. 1727.

XXX. *Ludovicus Henricus Leo Hilchen*, nat. Bu-
tisbaci, d. 2. Dec. 1702, Med. Lic. 1727, Dr. 1733,
d. 3. Apr. 1727 oratione, *fictum & verum chymiae in me-*
dicina usum sistente, med. prof. extraord., 1730 ordina-
rii, locum rite cepit. Gener fuit *Hensingii* modo me-
morati, altera vero coniux, quam duxerat, infamis fuit,
ita ut taedium & indignatio maxima vitae suae abrumpere-
nt d. 22. Apr. 1753, inuito certe animo, quod res familiaris
& academiae & facultatis ex eius obitu iacturam sit factura.
Vir alias praeae fidei & sinceritatis, post *Hertii* obitum pri-
marius immo vnicus med. professor factus variisque negotiis
distentus. Nam physici provincialis quoque & reddituum sta-
tus praelatorum praefecti, nec non medici monasterii *Arnsbur-*
gensis, muneribus fungebatur. Vnde eruditus non sic, ut
doctrina & acumine potuisset, cognitus. Quasdam tamen diss.
ad medicinam forensam spectantes (iterum has dedit cl. *Schle-*
gel), easque optimae notae, conscripsit.

XXXI. *Gerhardus Taber*, Moeno-Francofurtensis, I. O.
Taboris, Icti & cancellarii quondam academiae, nepos, M.
D. Ultraiekti 1721; haecenus civitatis nec non militum *Gieffen-*
sium medicus, d. 24. Aug. 1734 prof. ordinarii munus oratione,
qua *quid diuinum sit in morbis horumque curationibus*, exposuit,
aggressus est. Cum archiater *Damstadtium* vocatus esset, ibidem
paulo post febris catarrhali maligna extinctus m. Aprili 1742.



12. XIXII. *Fridericus Wilhelmus Hensling*, *Ioh. Thomae* filius, nec non *Ioh. Cas. Hertii* gener, natus Gießae d. 17. April. 1719, M. D. 1742, eodemque anno isque omnium primus professor factus, itidem militum apud Gießenses poliat, *Taborem* sequutus munus oratione *methodos ductum chyli ferum inquirendi* exhibente d. 8. Aug. 1743 suscepit. Iuuenis doctrina, solertia morumque comitate omnibus carus, scriptis aliquot anatomicis, ut de peritoneo, de ossium apophysis, deque omento & intestino colo, quae *Hallerus* pulcherrima & ex subtiliori anatome repetita censuit & in diss. anat. iterum dedit, magnam sui expectationem fecerat. Sed phthisis pulmonalis vitae finem fecit d. 9. Nou. 1745 m).

13^a X

XXXIII. *Gerhardus Andreas Müller*, *Ulma-Suevns*, nat. d. 23. Febr. 1718, M. D. Argentorati 1740, cum post *Hertii* & *Henslingii* discessum res medica in *Hilchenio* solo quiesceret, post varia consilia collega illi adscitus est. D. 23. Sept. 1751 oratione *de longaeuitate acquirenda* munus professoris anat. chir. & botan. aggressus est. Obiit febre acuta d. 26. Febr. 1762. Vir vere doctus, magis tamen theoria, quam praxi, praesertim anatomica & chirurgica, pollens: scriptis variis philosophico medicis clarus n).

14.

XXXIV. *Ioannes Carolus Voigt*, Gießensis, nat. d. 17. Dec. 1714, M. D. 1743, *Henslingii* quoque gener, alterum in facultate *Hilchenio* mortuo d. 27. Iun. 1754, oratione *de subsidis pro chirurgia ab anatome petendis*, cepit locum. Olim chirurgiae & praxi militari se addixerat, unde in

his, m) Cf. *C. F. Ayrmanni*, Acad. Rect. programma funebre d. 12. Nou. 1745 typis divulgatum. 4to.


n) De vita eius pluribus egerunt *Boerner Nachr. v. Lebensumst. ber. Aerzte*, T. II, p. 257. sqq. & ill. *Baldinger*, additam. ad *Boerneri* librum.



his, nec non in obstetricia arte, sermone facundo & studio improbo superuenientibus, auditoribus plurimum profuit. Simul physicus prouincialis fuit. Vitae finem fecit peripneumonia recidiua d. 5. Ian. 1763.

XXXV. *Georgius Ludouicus Alefeld*, *Ioh. Ludouici*, X 15. prof. philos. & physices Giessensis, filius, natus d. 31. Oct. 1732, M. D. 1756, pro facultate legendi publice disputauit d. 11. Nou. 1757. Prof. med. extraordinarii munus d. 6. Sept. 1760 (orat. *de praecipuis controuersis inter anatomicos saeculi huius XVIII agitatis*), ordinarii medicinae & physices d. 26 Maii 1762, est consecutus. Vir probus atque comis, cui aliis inferuire in deliciis fuit, sed infirma teneraque valetudine vsus. Negotiis practicis plurimum districtus, vltra biennium quoque solus medicinae prof., demum caelebs d. 20. Nov. 1774 febre hectica oppressus est. Anatomiae sedulo praefuit. Incidit in haec tempora *Ioh. Ernesti Neubauer* Giessensis, qui hic *Alefeldio* & *Müllero* vitrico, tum Argentorati *Lobsteinio*, ducibus, anatomiae gnauiter operam dederat, abitus, magna certe nostra iactura, quem virum academia Ienenfis ceu lucidum sidus sibi vindicauit: ipse vero, *Alefeldio* mortuo, cathedram eius occupare detrectauit.

XXXVI. *Ioannes Wilhelmus Baumer*, nat. Rehweilerae X 16. Franconum d. 10 Sept. 1719, primum his temporibus in facultate locum obtinuit, prouinciam d. 28. Febr. 1765 oratione adituali *methodum addiscendae medicinae* illustrante occupans. Primum theologiae se adlixerat & per quadriennium V. D. minister fuerat. Qua vero seposita Halae, duce prae ceteris *Iunkero*, medicinam didicit & a. 1748 doctoris gradum assumpsit. Quo facto Erfordiae medicinam professus est: Gies-sae simul physicus prouincialis & a consiliis rerum metalli-carum fuit. D. 4. Aug. 1788 hernia incarcerata, ipso flagi-tante resecta, animam reddidit. Vir fuit serius & grauis,




qui laboribus suis & lucubrationibus ad gloriam academiae augendam multum contulit: scilicet in mineralogia, politica medica & medicina forensi magni nominis. Sed, quod dolendum, nimis sibi indulgens & alieni meriti osor. His temporibus, concurrente praesertim *Baumero*, societas Hassiaca philosophico-medica condita late floruit. Ipse quoque, cum collegis *Cartheuser* & *Andr. Boehm*, collegium quoddam rei metallicae augmento destinatum constituit. Primus quoque programmata promotiones candidatorum indicentia publici iuris fecit.

XXXVII. *Fridericus Augustus Cartheuser* Hala Saxo, nat. 1734, *Ioh. Friderici*, prof. Viadrino Francofurtensis famigeratissimi, filius, huc vocatus sermone inaugurali d. 30. Sept. 1766. insignem chemiae in philosophia naturali usum ostendit. Simul a consiliis rerum metallicarum fuit hortique medici inspector. Botanicam, chemiam, physicam docuit &, quod mirum, in trium facultatum consortio fuit, utpote medicae, philosophicae & oeconomicae a. 1776 conditae. Vir probus, ingenio felici, doctrina solida orisque facundia insignis, scriptis quoque chemicis & mineralogicis celebratus, sed tenera nervorum compage & sensibilitate morbosa affectus. Cum, patre mortuo, haud exigua in illum redissent vestigia, muerere se abdicavit & in praedium quoddam prope Idsteinam, quietam vitam rure acturus, se contulit, ubi Nassoviae Principi a consiliis camerae secretioribus fuit. Postea Schierstadium, inde Bickenbacum se recepit, ubi 1791 a Principe nostro gloriosissimo consilarii sanctioris & collegii med. Darmstadini adfessoris titulis mactatus est. Varias belli Gallici calamitates perpeffus Schierstadii in pago Rhenensi asthmate cruciatus quietis demum aeternae particeps factus est, d. 12. Dec. 1796.

17 X

XXXVIII. *Christophorus Ludovicus Nebel*, Niddae




dae d. 30. Aug. 1738, patre medico genitus, *Hilchenii* supra memorati ex sorore nepos fuit. Postquam hic & Argentorati arti medicae se addixerat eamque inter copias exercitus foederati in bello septennali exercuerat, a. 1761 Gießae doctoris honores est consequutus. Quo facto a. 1766 theatri anatomici professor constitutus, a. 1767 societati philos. medicae *) ab epistolis, nec non ergastuli Gießensis medicus factus. D. 3. Oct. 1771 pro facultate legendi de fecali cornuto eiusque noxiis publice disputavit atque d. 23. Dec. eiusdem anni prof. extraord. munus oratione *aquarum Gießensium analysin* exhibente aggressus est. *Alesfeldio* mortuo cathedra ipsius in duas quasi partes est dissecta, quarum alteram chirurgicam & obstetriciam *Nebel*, alteram anatomicam ill. *Dierz*, est adeptus. Igitur d. 18. Febr. 1775 ordinariam in facultate locum accepit. Simul reddituum status praelatorum praefecti, monasterii Arnsburgensis, nec non satrapiae Atzbacensis Nassouicae, medici muneribus est functus. Haemorrhoidibus retentis & hepatis ulcere diu male vexatus piam animam deo reddidit d. 2. Iun.

C 3.


1782.

*) Societas academica philosophico-medica Hassiaca heic Gießae, praefide *Hermann* L. B. & *Riedesel*, curatore acad. & ministro status initio, d. 7. Nov. 1767 inaugurata, per septem annos laete floruit & non nisi cum morte praesidis & curatoris desinit. A. 1771 volumen I actorum typis divulgavit. Nascentis academiae e classe medica sodales fuerunt *Berchemann*, senior, *Baumer*, *Alesfeld*, *Cartheuser*, *Busch* atque *Nebel*. E classe philosophica consortes fuerunt *Boehm*, senior, *Kortbolt*, perill. L. B. & *Gatzert*, *Müller* atque venerab. *Beckhold*, uterque theol. prof., *Hoffmann*, ll. orr. prof., *Jac. Thom*, atque *Adam*, uterque Principi a consiliis, *Dierz* atque *Schwarz*, uterque V. D. minister, cel. *Rambach*, venerab. *Müller*, qui in hac classe ab epistolis fuit, quem mox secutus *Krebs*. Praeterea exteri complures fama & eruditione insignes in sociorum & extraordinariorum, & honorariorum numerum sunt cooptati. Classis medica tunc temporis collegium medicum principatus Hassiae superioris constituit, quod alias, ex Principum inde a condita academia Ludouiciana indutu, soli facultati medicae competit.



1782. In parentis optimi & desideratissimi laudibus prolixiorē esse pietas vetat. Id tamen citra modestiae laesionem adfirmare possum, primum ipsum apud nos fuisse, qui de domo scholaeque obstetricia erigenda bene, licet illis temporibus irritō conatu, mereretur, ut acta facultatis a. 1772, 73 abunde testantur; qui variolarum puerilium infectionem, *Gattyum* sequutus, optimo cum successu apud nos a. 1773 instituit; qui fecalis cornuti noxam mascule defendit; atque primum in Germania, qui *Sigaulti*, ossium pubis synchondrotomiam molientis, conatibus publice se opposuit.

Reliquos, qui cathedram in arte salutifera exornaturi huc venire viros celeberrimos, cum una mecum superstites sunt, enarrare nolo. In his autem me ill. *Dietz*, antecessore meo aestimatissimo, nunc Darmstadii otio litterato fruente, exper. *Müller*, nunc collega honoratissimo, coniunctissimo, excell. *Thom*, avunculo aeternum suspiciendo, nunc sacratissimi Principis nostri sanitatis curam gerente, praeceptoribus fautoribusque usum esse, lubens & gratus profiteor. Inter coelites nunc versatur *Danz*, morte praematura ablati. Per decennium intantum virorum consortio fuit ampliss. *Schwabe*, nunc praefecturae Giessensis medicus. Nostri, quibus haec scribo, diebus, praeter cel. *Müller* laudatum, locum in facultate tenent viri fama, meritis laudibusque conspicui, cel. *Posewitz* & cel. *Hessert*. Cumque verendum mihi sit, ne verecundiae tantis viris debitae limites transgredi videar: ad id propero, quod hanc qualemcunque narrationem praemittendi ansam mihi dedit. In scenam enim sunt producendi commendandique clarissimi doctissimique medicinae candidati, qui vitae operaeque in medicina laudabiliter impensae reddita ratione, tum examini-
nibus suctis rite superatis, summis in medicina & chirurgia hoc, qui nunc ad finem vergit, anno doctorem honoribus a me sunt condecorati.




I.

Franciscus Ludovicus Iung. Natus ille Dierdorfii d. 15. Aug. 1776, patre Wilhelmo, ibidem Principis Weodani medico, matre Maria Magdalera *Abel*. Patre mortuo, cum 15. annum ageret, una cum matre Weilburgum se contulit & gymnasium ibidem per tres & dimidium annum frequentavit. Postea apud Principem suum scribae cubicularis munere functus est. Tum medicinae se addixit, cum patria belli calamitatibus paene ad perniciem esset deducta, & ab a. 1799 illi in academia Marburgensi operam dedit, ubi perill. *Baldinger* in pathologia generali, ill. *Stein* in arte obstetricia, ill. *Michaelis* in chirurgia ac therapia generali, excell. *Moench* in materia medica, botanica, chemia, pharmacia, excell. *Brühl* in anatome & physiologia, usus est praeceptoribus. Quod summo studio, industria & probitate factum esse, quicumque illum norint, unanimi ore testantur. D. 12. Aprilis ad nos venit examenque facultatis subiit, in quo praeclarum & non mediocriter doctum se praebeuit: ita ut honores doctorales, optime promeritos, d. 13. Apr. consequeretur.

II.

Daniel Godofredus Praetorius, Simmeria-Palatinus, ubi d. 17. Ian. 1770 primam lucem adspexit: patre ibidem medicinam & obstetriciam artem faciente, matre *Reuteria*. A. 1790 Moguntiam se contulit, ubi VV. CC. *Soemmerring*, *Weidmann*, *Wedekind*, *Fibig*, praeceptores in medicina & chirurgia habuit exoptatissimos. Gallis Moguntiam occupantibus castra eorum secutus est, ubi in exercitu, cui praeerat *Custine*, nosodochii ambulantis chirurgum egit. A. 1793 chirurgus primarius in Belgium se recepit ibique legioni Helveticae se addixit. Vbi, cum castrum Graff obsidione cinctum a Gallis expugnaretur, rei familiaris fere omnis iacturam est expertus. Aliquot annis exactis militia se abdicavit & Zutphaniae medi-

cum



cum egit: nec dubitauere gubernatores, quin in cohorte tertia semileg. tertiae ciuium districtus Rhenensis Batavi armatorum chirurgi primarii vices ipsi committerent. Ad examen facultatis venit d. 26. Iul. quod probe & laudabiliter sustinuit, & doctoris honoribus mactatus est dimissus. Theses typis excudi curauit.


III.

Theophilus Henricus Engel, Triburia Hassus, genitus patre Daniele, praeceptore ibidem litterato, matre Eleonora nata *Metzler*, d. 22. Aug. 1769. Primis chirurgiae, cui se mancipaauerat, principiis imbutus, Vindobonam se contulit, ibique academiae chirurgicae professores celeberrimos *Plenck*, *Gabriely*, *Boecking*, *Hunczowsky*, *Streit*, *Scherer*, per tres annos habuit praeceptores. Quo facto legioni Caesar. pedestri, quam dicunt *Deutschmeister*, nomen dedit & chirurgi gregarii in bello contra Turcas, superioris in bello Gallico, munere functus est. Cum in hac prouincia ad Rhenum superiorem moraretur, Serenissimus Landgrauus noster sibi vindicauit virum & chirurgi supremi, quem dicunt *Stabschirurg*, munus obire iussit. Quod ad hodiernam usque diem inter copias nostrates ad Rhenum & in Bauaria, demum Darmstadii, feliciter est prosequutus. Tironibus quoque chirurgicis lectionibus publicis profuit. Ad colloquium facultatis venit d. 23. Aug., in quo doctrinae ac solertiae adeo praeclara exhibuit documenta, ut protinus, plaudentibus excell. collegis, doctoris laurea sit condecoratus. Dissertationem inauguralem *de offium carie atque necrosi, nec non acidi phosphorici in illis curandis efficacia*, a se conscriptam ordini tradidit typisque mandauit.

IV.

Derk Mestigh, Vinschotta, in prouincia Groeningensi, oriundus. De cuius viri vita & studiorum ratione non habeo, quod enarrem, nisi quod, disciplinis chirurgicis pariter ac medicis in scholis Belgicis fideliter instructus, a salutis publi-

cae



cae reip. Batauae praefectis examinatus ac testimonio honorifico dignus sit iudicatus. Quo facto chirurgi primarii substituti in prima cohorte secundae semilegionis reip. Batauae prouinciam est consequutus. Cum facultati eruditionis ac virtutis specimina abunde exhibuisset, dignus est habitus, in quem summi in medicina & chirurgia honores conferrentur, quod perpetratum d. 10. Sept.

V.

Franciscus Ioannes van den Eeckhout, Medioburgo, Seelandiae capite, oriundus, inque eiusdem prouinciae castello le Bath militum sanitatis curam gerens, & artis chirurgicae praefertim & obstetriciae exercitio pollens, d. 15. Sept. ordinem nostrum adiit &, ut summi in medicina & chirurgia honores sibi tribuerentur, decenter petiit. Cum ingenium doctrinamque documentis idoneis comprobasset, voti compos factus est. Notandum, huius candidati fratrem germanum, *Iac. Io. van den Eeckhout*, d. 22. Oct. anni praeteriti a collega honoratissimo, excell. *D. Poswitz*, honoribus doctoralibus esse insignitum.

VI.


Georgius Düring. Natus Moguntiae, ibique educatus & in iis, quae ad artem salutarem spectant, doctrinis a praeceptoribus praestantissimis instructus, in academiam Ienensem se contulit & in Virceburgensi studiorum academicorum finem fecit. In examine solempni d. 27. Sept. instituto, se tantorum in tribus academiis magistrorum hand incurium ieiunumque auditorem fuisse, abunde manifestauit & titulo honoribusque doctoris, quos mox nactus est, non indignus est habitus. Diss. inauguralem, prelo nondum subiectam, conscripsit.

VII.

Georgius Friedericus Fuchs, Dillaeburga Nassonicorum oriundus, in schola patria doctrinis impartitus, tum, postquam apud Argentoratenses literis strenue operam nauauerat, ad Batauos

D

de



delatus est, ubi femilegionis pedestris sextae chirurgi primarii officium in ipsum est collocatum. D. 5. Oct. facultatem nostram accessit & in examine instituto egregie stetit, ita ut et animi candore & doctrina studiose comparata omnibus fuerit carus atque commendatus. Postridie doctoris gradum & honores obtinuit.

Problemata quaedam medica miscella, loco speciminis inauguralis, publici iuris fecit.


VIII.

Ioannes Nicolaus Westernacher, Grieshemii prope Darmstadtum a. 1780 in lucem editus, patre ibidem chirurgo, in disciplinis scholasticis consobrini, b. *Weyland*, praeceptoris Darmstadini, institutione usus, a. 1799 ad nostram academiam venit. Excell. D. *Müller* chemicis, botanicis & in materiam medicam habitis lectionibus interfuit. Excell. D. *Posewitz* anatomicas & obstetricias acroases frequentavit. Excell. D. *Hessert* chirurgicas, semioticas & therapeuticas institutiones audiuit. Neque physiologiam, pathologiam, medicinam forensam & formulas concinnandi methodum tradentem sedulus adiit. Neque disciplinas philosophicas neglexit, in quibus Excell. *Roos* in scholis historicis, Excell. G. G. *Schmidt* physices & mathecos, Excell. *Schaumann* philosophiae theoreticae, usus est praeceptore. Cursu academico sic laudabiliter emenso anno elapso solenni facultatis examini sese obtulit, in quo ita stetit, ut spem, quam de illo cepimus bonam, non solum expleret, sed etiam superaret. Dignus igitur laurea doctoris est iudicatus, quae petenti die h. a. 6. Nov. est collata. Diss. inauguralem prelo subiecit, in qua quaestionem, *num Et quatenus in nonnullis casibus partus foetus vel placentae celerius absolvendus sit, nec ne?* soluit.

Dabam Giesae, d. 30. Dec. 1802.

rima-
n no-
ut et
fuerit
ono-
is in-

adium
cipli-
msta-
venit.
dicam
mias
chi-
Me-
rmu-
eque
os in
leos,
cepto-
o so-
t, ut
eret,
dica-
ugu-
us in
endus



Colour & Grey Control Chart

Danes
Picta



ALIQVOT

CANDIDATOS

SVMMIS IN MEDICINA HONORIBVS

CONDECORATOS COMMENDAT


ATQVE



GISSAE

PRELO I. W. BRAVN ACAD. TYPOGR.

1802



12